



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XVIII. Differentia 3. Emens rem alienam à Fisco, Iure Canonico non est
securus, sed restituere Ecclesiæ tenetur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

XVIII.

DIFFERENTIA 3.

Emens rem alienam à Fisco, Iure Canonico non est securus, sed restituere Ecclesia tenetur, c. 2. de rebus eccl. non alien. Secus Iure civili in emente rem alienam quamcunque à Fisco, l. Benè à Zenone, C. de quadriennii præscript. Bapt. à S. Blasio 122.

I. Fiscus ærarium principis est, quo inferuntur & conservantur bona non patrimonialia, sed quæ ratione dignitatis, aut superioritatis principi debentur. Hinc confiscatio bonorum, res fiscales, fiscalis procurator, & simil. Ecclesiasticos quoq; antistites fiscum habere, licet *Baldus* negaverit, alii plerique DD. agnoscunt. *Panorm. in. c. Quia diversitatem, de concess. præb. Felin. in c. Irrefragabile, de iud. Tholos. Syntagm. l. 31. c. 31. Franc. Leo in thes. eccl. l. Par. r. c. 16. n. 17.*

II. His positis *Ioan. Bapt. à S. Blasio* inter leg. *Benè à Zenone, C. de quadr. præscr. c. 2. de reb. Eccl. non alien.* contradictionem invenit, quod, qui rem alienam à Fisco emit, securus sit, ita ut à nemine impetratur, aut iudicio pulsetur; securus autem non sit, si rem Ecclesiæ à fisco emerit. Quod facilius est dicere, quam quomodo juri consonet explicare. Etenim in cita. lege nihil aliud, quod quidem ad nostrum propositum faciat definitur, quam illum, qui à Fisco vel principe rem alienam emit, à nemine impetrandarum conveniri, sed absque me-

tu Judicis & iudicii eâ uti, fruique: quod duobus modis intelligi potest, *Primo* de rebus civilibus tantum, seu profanis. *Secundo*, de profanis, & sacris simul. Priore modo contradictio verbalis nulla est; posteriore dissentit citata lex, sed irrito conatu, quia fines potestatis suæ Imperator excedit. Neque enim ulli magistratui permittitur quicquam constitucere, quod in damnum aut præjudicium Ecclesiæ vergat, *c. 1. & seqq. dist. 10. c. Quæ in ecclesiis, de constit. c. Ecclesia S. Maria eod.* Adde, quod per se etjâ priore modo lex vitiosa est, redolens philargyriam, & iniquitatem, Nam si res à Fisco empta, Fisci non erat, sed alterius, quo jure emptori adjudicatur, & prohibetur repetitio? An quia præscribit? Id quidem de quadriennio *ibid.* dicitur, sed eodem iustitiæ defectu. Merito igitur tota illa constitutio (cum omnia etjâ omnino bona principi tribuat) in *c. 2. de reb. Eccl. non al. reprobat.*

tur, & abrogatur.